





8823

1770-31.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
DEBITOR TRANSIGENS  
CVM CREDITORIBVS  
FRVATVR BENEFICIIS EIVS QVI  
BONIS CESSIT IN FINIENDA  
LOCATIONE

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBV RG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XIII. OCTOBR. ANNO CICIOCCCLXX.


DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS MEISNER

SORVIGENS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.





AN

DEBITOR TRANSIGENS CVM  
CREDITORIBVS FRVATVR BENEFICIS  
EIVS QVI BONIS CESSIT IN FINIEN-  
DA LOCATIONE.

---

---

§. I.



Sive tribuamus calamitatibus temporum,  
sive quid conferat hominum impro-  
bitas, nihil sane frequentius contin-  
git, quam quoā debitores fidēm da-  
tam fallant atque creditorum suorum iura euertant.  
Vbicunque prope legimus, audimus, iudicamus obae-  
ratos debitores, qui vel soluendo esse desierunt, vel quo-  
rum creditores publica proclamatione ad iudicia evo-  
cantur, vt liquidationes exhibeant, veritatem debitorum  
demonstrent, atque super prioritate litigent. Sapien-  
tissimus legislator Saxo huic malo medelam tentauit pro-

A 2                      mulga-



mulgata lege publica scilicet MANDAT. *de Bancoruptis d. A. 1724* et MANDAT. *emendato de A. 1767.* Haec adeo placuit cura sapientissima, vt et alii legislatores hanc curam in suis terris comprobauerint atque ex hac nostra lege suorum ciuium causas interdum decidi patientur. Speciem itaque aliquam, quae controversa videtur, non interpretandi animo, quam curam Serenissimo Legislatori nostro relinquimus, sed quatenus illustrando differendi occasionem nanciscamur, rationibus adiectis exercitationis causa proponamus: ipsius dubitationis causam aliquando, si in foro controversa fiat, indulgentissima Gratia Serenissimi Electoris decimam expectabimus.

### §. II.

Ordinauerunt MANDATA. *citt de Bancorupt. §. 5. in fin.* Wornächst zu Erfahrung derer Kosten, hiermit verordnet wird, das da ein Schuldner ein Haus oder ein Kaufmanns-Gewölbe, oder andere zu seiner Wohnung nothige Behältnisse auf mehrere Jahre, gemietethet hätte, bey ereignetem Falliment, die Miethe nicht länger, als zu nächstfolgende Ostern oder Michaelis, und zwar, wenn das Falliment vor Ostern sich zutrige, sodann die Miethe bis Michaelis, da es aber vor Michaelis geschähe, bis Ostern des künftigen Jahres continuiret werden soll. Clarissima haec legis dispositio, vt interprete plane non egeat. Sed in alia facti specie quaestio enata est, an huius legis dispositionis recta fiat applicatio. Hanc speciem dabimus.

### §. III.

Maeuius et temporis iniuria et variis calamitatibus, imo suorum, quos habebat debitores improbitate in eam venit conditionem, vt cessaret esse soluendo. Cum se ad




ad incidat redactum cerneret, submittit se dispositioni Mandati *all.* atque exponit iudici conditionem suam, exhibitis creditorum nominibus, dataque suorum bonorum copia, simulque, ne arresto ob campia detineri possit, moratorium impetrat. Emissa citatione edita reliquisque, quae lege requiruntur, obseruat, ante terminum debitor cum suis creditoribus super debitibus transigit, eaque transactione facta satisfacit atque acceptis apochis ita liberatur, ut postea in termino doceat, quos nominauerat, creditoribus satisfactum esse, et cum nemo aliis comparuisset, praeculsiis non comparentibus et liquidantibus, sequestratio bonorum debitoris tollatur, quae antea a iudice ordinata fuerat; et sic, quo minus processus concursus creditorum apperiatur, impeditur. Cum vero, quam antea mercaturam exercuerat, continuare haud posset, eaque transactione, quam vulgo Accord vocant in eam venisset conditionem, ut taberna et domicilio amplius haud vteretur, quamvis conductio tempus non dum elapsum esset, migratus petit a locatore migrandi ante tempus contractus licentiam, prouocans ad §. 5. Mandati cit. supra adiectum. Iam quaestio orta: *an locator autoritate legis possit compelli, ut patiatur conductorem ante tempus conuentum a conductione recedere?*

#### §. IV.

Diximus supra, decidendam esse hanc quaestionem ex Iure Electorali tantum. De iure enim ciuili quaestio plane est inutilis, cum inter illas causas, ex quibus conductori recedere a conductione liceat, nihil sit, quod ad nostram speciem faciat. In decidenda itaque hac quaestione prius pro utraque causa argumenta, quantum

A 3



tum breuitas permittit, examinabimus, dein sententiam, quidue nobis videatur, dicemus.

### §. V.

Cum pendente concursu liceat debitori obaerato recedere ante tempus contractus finitum a conductione, legeque necessitas imponatur locatori, ut dimittat ab obligatione conductorem, videri posset, eandem causam applicandi huius iuris habere debitorem, qui a nexu aeris alieni se se liberavit transactione intercepto concursu. Cum enim omnia sua adhibuisset bona, ut satisfaceret creditoribus, transactione autem succederet in locum ipsius processus concursus creditorum, ipsiusque huius processus non aliis finis, quam ut ex bonis satisficeret creditoribus, qui finis, transactione facta, obtinetur, probabilis est ratio, idem obtainere beneficium posse, ut debitor a necessitate continuandi contractum conducti liberetur. Accedit, quod forsan transactione illa inita non amplius egeat et taberna et domicilio illo, quo antea vtebatur, ut aequitas suadeat, eundem debitorem a maiori illo sumtu mercedis liberare. Tandem cum verba legis sint generalia, eaque restringere nefas videatur, et beneficia potius extendenda veniant, quam quod restringantur, posset adfirmari, succurrere legem quoque transfigendi debitori.

### §. VI.

Sed quae etiam sit harum rationum vis, tamen, accuratius ponderata lege eiusque ratione, contraria sententia probabili redditur. Nam cum Serenissimus Legislator curaret, ut massae concursus consuleret, ne mercede locationis minuatur; haec ergo legis dispositio maxime in fauorem creditorum introducta videtur, quo spe-




spectant verba: zu Erfahrung der Kosten. Non videtur vero lex debitori bonis cedenti hac ordinatione priuilegium aliquod concedere, vi cuius cessione liberetur a necessitate seruandi contractum conductionis; datur potius massae concursus beneficium in fauorem creditorum, quippe soluto contractu, haec eroganda merces seruatur massae atque in solutionem creditorum verti poterit.

### §. VII.

Quae cum ita sint, facile patet, quid de proposita sentiendum sit quaestione. Si enim debitor cum suis transigit creditoribus, qui finem processus concursus haud expectant, quie potius malunt aliquid recipere loco totius summae, quae ipsis debetur, maximè, cum contingere haud raro soleat, vt impensis deductis ex massa concursus atque solutis debitibus, quae vel priuilegio praelationis, vel iure hypothecae munita sunt, reliqui creditores vel parum, vel nihil capiant, cessat concursus massa, neque opus, vt de creditoribus amplius simus solliciti, qui sibi maluere transactione prospicere, quam quod legis et iudicis auxilium expectarent. Cessat itaque ratio, quam viderur habuisse legislator in introducendo hoc iure, et sic cessabit ipsis quoque applicatio. Dein accedit: cum, vt supra monuimus in hac lege ordinatione non latet beneficium debitori datum, neque ab eius arbitrio pendebit, vtrum hoc iure vti velia. Tandem cum huius legis extensio vergere posset, si eius promiscua fieret applicatio, in detrimentum locatoris, qui iure suo ex contractu quae sito caderet, cum cogereat diligenter conductorem ante finitum contractum; inquit vero esset imo iniustum, legem interpretatione extensi a ulterius extendere, quam verba legis parvunt, et extra thema, quod in lege continetur

in



in tertii alicuius detrimentum; malim sane statuere, debitorem cum suis creditoribus transigentem frustra implorare auxilium cit. §. 5. vt ex conductione dimittatur.

### §. VIII.

Sed forsan posset, ne admodum stricti videamur, in legis applicatione distinctio aliqua adiici. Aut enim transactione cum creditoribus facta, simul quoque, quod a debitore in transactione promissum, iam praestitum est, et tunc putauerim, debitorem a conductione recedere non posse inuito locatore. Aut, vt fieri solet, pensionibus statutis in transactione, solutionem adhuc praestandam a debitore creditoribus; tunc, cum creditorum interfit a sumtibus nimis forsan liberari debitorem, quo statim temporibus pensiones promissas soluere possit, non plane improbandum videretur, cum hoc ius in fauorem creditorum statutum sit, ex §. 5. alleg. debitori succurrere. eumque ex contractus obligatione secundum legis tenorem dimittere.

T A N T V M.



VD18

**ULB Halle**  
007 208 200

3





8823

1770,31.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
A N  
**DEBITOR TRANSIGENS  
CVM CREDITORIBVS  
FRVATVR BENEFICIIS EIVS QVI  
BONIS CESSIT IN FINIENDA  
LOCATIONE**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XIII. OCTOBR. ANNO CICIOCCCLXX.

DEFENDET

**CHRISTIANVS FRIDERICVS MEISNER**

SORVIGENS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.

